



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

De aspectu, cap. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

ab eo nihil pati neque affici quatenus huiusmodi est, hoc est quatenus substantia; sed solum quatenus in eorum aliquo continetur, quæ per se sensum mouent: quatenus inquam substantia est alba, aut alio accidente affecta. Non enim substantiam videmus, sed colorem, qui in ea est: atque dum substantiam videre dicimur, ex accidenti plane videre dicimur.

Postremò tribus hisce sensilium obiectorum generibus expositis, proprio, communi, & quod ex accidenti sentitur; ad singulorum sensuum tractationem accessurus, ex illis omnibus accipit obiecta propria, propter quorum cognitionem singuli sensus comparati sunt atque à natura fabricati. Etsi enim propter communia quoque fabricati videantur; non tamen secundum propriam cuiusque sensus rationem, sed secundum communiorem quamdam, vt adnotauit Simplicius; hoc est quatenus omnes sunt facultates materiales, quæ non nisi cum quantitate & reliquis, quæ quantitatem consequuntur, percipere propria obiecta possunt. Itaque reiectis illis, quæ ex accidenti sentiri dicuntur; quòd vt nihil afficiunt sensum, ita nihil ad eius naturam cognoscendam conferunt: ex obiectis per se, quæ sensum mouent, in consequenti tota sensuum consideratione sensilia propria, quæ propriè sensilia dicuntur, retinenda sunt & ante oculos proponenda. Quoniam hæc primùm & essentialiter sentiuntur, inquit Auerroës; cum propter illa instituti fuerint sensus. Communia autem etsi necessariò, non tamen primùm, sed velut modi & conditiones obiectorum primorum sentiuntur.

*Commu-
nia sen-
silia esse
per se
sensilia.*

Quare hoc nomine contendit Philoponus sensilia communia, etsi à propriis separata sensum non moueant nec omnino sentiuntur, sensilia tamen ex accidenti appellari non posse, dum cum propriis simul sentiuntur. Quia sensilia ex accidenti, vel etiam dum sentiuntur, nihil in sensum agunt: communia verò quoquo modo agunt; & idèd si non primo, certè secundo loco per se sensilia sunt. Quòd si à propriis separata non mouent sensum, ne colores quidem mouent à lumine aut perspicuo separati: nec tamen propterea inter sensilia ex accidenti numerantur. Neque igitur sensilia communia eam ob causam credendum est esse ex accidenti sensilia: sed vt sensilia per se dicantur, satis est, si cum propriis copulata sensum afficiant.

DE ASPECTV.

CAP. VII.

TEXTVS.

Ὁ ὡρὸν ἐστὶν ἡ ὄψις, πρὸς ἧν ὁρατὸν. ὁρατὸν δὲ ἐστὶν ἡ ὄψις, καὶ τὸ λεγόμενον εἶπεν, ἀγόμενον δὲ πύραυλον ὄν. διὸ καὶ ἔστιν ὁ λεγόμενος περιεχόμενος μάλιστα, τὸ δὲ ὄρατὸν δὲ λεγόμενον, ἐστὶν ὄψις.

Cuius igitur est aspectus, hoc est aspectabile. Aspectabile autem est color, & quod oratione quidem est di-

cere, innominatum autem existit. Manifestum autem erit, quod dicimus, procedentibus maxime. Aspectabile enim quod dicimus, est color.

COMMENTARIVS LXXXIII.

Sex obiectis haurienda est facultatum cognitio, vt in tex. 33. positum est: post obiecti sensilis considerationem hætenus factam sententium facultatum explicationem facilem polliceri nobis possumus. Et quoniam ex obiectis propriis vniuscuiusque substantia & natura maxime pendet, quemadmodum postrema superioris textus verba affirmant: neglectis interim illis obiectis, quæ aut ex accidenti, aut communiter omnibus sentiuntur sensibus; ex propriis in exactam singulorum cognitionem deducit.

Duo autem in animalibus insunt sensuum genera. Vnum externum, quod & obiecta externa immediatè percipit, & organum corporis exterioribus ac patentibus vitur. Alterum internum, cuius cognitio prioris cognitionem sequitur, & organum interius latens neque cuius notum, magisque reconditam habet operandi formam. Ab exterioribus principium facit Philoponus; quod notiores sint, simpliciores, & verò etiam communiore: priusque in animalibus operentur, quam ij, qui interiores dicuntur.

Porò inter exteriores etsi prior in animalibus vigeat tactus, sitque communior, & possit sine cæteris reperiri, cæteri sine ipso esse non possunt: quam ob causam in 6. naturalium Auicenna ab eo credit inchoandum. Aristoteles tamen aspectum primùm contemplatur. Tum nature ordinem; quia omnibus præstat; quòd & pluribus eget ad operandum, ac præferam luce, diuinißima qualitate: & momento operatur, remotissimaque obiecta diiudicat, & minime ab illis patitur.

D Tum etiam doctrina, quòd manifestissimus est, tum organo, tum operatione, & vt loquitur Simplicius, luminosa sui specie atque ad solem proportionem. Neque enim à communioribus inchoandum est, quòd communiora sint; sed quòd ferè notiora. At in sensibus, inquit Philoponus exponens textu 75. contrarium accidit; vt ij notiores sint, qui speciales magis existunt. Itaque cum aspectus & sit omnium potissimus, idemque manifestissimus; est velut cæterorum mensura: eoque probè percepto reliqui facillè cognoscuntur.

Iam de hoc sensu duo præcipua capita tractantur. Alterù de obiecto, quod est aspectabile. Alterum de medio, per quod aspicitur potest; hoc autem est id, quod est perspicuum. Primùm igitur aspectus obiectum vniuersè credendum est esse quidquid est aspectabile. Sic enim generali vocabulo appellatur; quoniam circa id, quod aspectabile est versari aspectum oportet. Nam aspectabile illud significat, quod aspicitur potest; & aspectus facultas est aspectabilium perceptrix. Itaque principium fecit Philoponus ab obiecto formali, quo maxime vnaqueque facultas determinatur. Deinde adiecit id, quod est materiale. Aspectabile namque & colorem comprehendit, & alia quædam, quæ pluribus quidem verbis describere & circumloqui possumus aut singula

singula nominare: vna tamen voce appellare non possumus, quemadmodum colorem appellamus. De illis procedente oratione dicitur. Nam in textu 72. quedam esse docebit, quæ in tenebris conspiciantur: contra quom color, qui in lumine duntaxat cernitur: Eiusmodi sunt, fungus, cornu, capita piscium, squammæ, echinorum oculi, & ea, quæ nocte lucent: quæ nec colorata dici possunt, nec vno nomine appellari.

Lumen quoque colorum dicitur. Verum coloris nomine hoc loco non colores ipsos solos intelligas; sed lucem quoque quam in textu 69. dicit esse vt colorem perspicui; & in libro de sensu & sensili capite tertio aer, inquit, & aqua sunt colorata: tale enim aliquid splendor est. Quasi splendorem quoque & lucem diceret appellari posse colorem. Aut colorem solum nominavit, primam & potissimam huius obiecti partem: quam vt videamus, lucem quoque requiritur, velut illius conditionem quandam. Non enim colores cernimus nisi cum lumine; in tenebris nequaquam: quam ob causam non defuerunt, qui eos ne colores quidem aut aspectabiles esse affirmarent. Lumen ipsum per se cernimus, dum cœlestia astra lucidaque alia corpora aspiciamus, quæ colorem nullum, sed solum lumen habent. Sanè lumen, si per se consideretur, præstantissimum quidpiam est & qualitas diuinissima. At si aspectabilitatis rationem intuearis; quoniam conditio est medij, per quod videtur color, præcipuum magisque proprium huius sensus obiectum videtur esse color. Nam hic & per se aspicitur, & facultatis huius actum terminat: neque ratio est videndi aliud: semperque cernitur, in quocumque fuerit corpore; quia semper est in corpore aspectum terminante. Lumen autem non videtur cerni nisi reflexum aut in corpore terminato susceptum; vt in cœlo & aliis pluribus manifestum est.

Aspectus dignitas. Quia in te aspectus nobilitatem agnoscas. Nam & præter obiectum ac medium externum supremam atque omnium diuinissimam qualitatem postulat: & per vnum aspectabile percipit aliud; nempe per lumen colores persentiscit. Itaque præclare Priscianus Lydius pronuntiauit; In his inferioribus aliud esse, quod videmus; aliud, per quod videmus: in superioribus autem hæc duo coniungi; quod ipsum astrorum lumen sit id, quod cernitur.

TEXTVS.

Τὸν δὲ ἐπὶ τὸ ὄσι τὸ χροῖ αὐτὸ δεξιῶς καὶ αὐτὸ δ, & τὸ λεῖψ, ἀλλ' ὁ, π ἢ ταυτὸ ἐξεῖ τὸ ἀπὸν τὸ εἶνα δεξιῶς.

Hic autem est id, quod in eo, quod per se aspectabile. Per se autem, non ratione; sed quoniam in se ipso habet causam, vt sit aspectabile.

COMMENTARIVS LXXXIV.

Illis, quæ innominata sunt, nunc omisiss; ac- ceptoque colore tamquam manifestè aspectabili; eum ait esse id, quod est in eo, quod per se aspectabile est. Quæ verba ita interpretati sunt Anuerroës; Albertus, & sanctus Thomas; vt color dicatur esse per se aspectabilis non primo, sed secundo modo eorum, quæ per se dicuntur. Esse namque aspectabile proprietatis coloris est: neque color dicitur aspectabilis per se ratione, hoc est ita vt aspectabile in eius definitione ponatur; sicut in iis sit, quæ primo modo per se dicuntur: sed quoniam in se ipso habet causam, vt sit aspectabilis; quemadmodum subiectum suæ proprietatis causam continet: & idè subiectum in definitione potius proprietatis nominatur, & color in aspectabilis definitione.

Hanc ego interpretationem proflus non reiticio. Sed eam magis probo, quæ Simplicij fuit. Is colorem scripsit dici esse in eo, quod est per se aspectabile, hoc est in corpore terminato: quod non ratione dicitur per se aspectabile, quoniam in ipsius definitione ponatur aspectabile vt aliquid substantiæ; sicut in iis, quæ primo modo per se dicuntur. Aut quòd in aspectabili definiendo coloratum corpus nominetur; quemadmodum in eorum definitionibus, quæ posteriori modo dicuntur, illorum subiectum ponitur. Sed in se habet causam, vt sit aspectabile: Hoc est non per aduentitium quidpiam aspicitur; quemadmodum corpus perspicuum, quod non per aliquid sibi connaturale, sed per aduentitium lumen cernitur; & idè interdum actu, interdum potestate aspectabile est. Verum quoniam in se ipso habet velut proprium id, per quod sit aspectabile; colorem scilicet, qui est formalis causa, vt coloratum corpus aspectabile sit. Et cum color in eo sit permanens atque illius proprius, est semper ex se aspectabile actu primo, quoniam habet actum & formam, propter quam aspici possit: tamen actu secundo non aspiciatur, si aut defuit lumen, aut aliud quidpiam necessarium ad videndum.

Themistius & Philoponus ea quidem ex parte consenserunt, quòd verbis illis intellexerunt coloratum corpus à perspicuo distinctum fuisse: sed dissenserunt in eo, quòd Simplicius discrimen illud in eo agnouit, quòd coloratum corpus per aliquid sibi proprium est aspectabile, perspicuum per aduentitium lumen: illi autem potius in hoc, quòd coloratum corpus cum sit terminatum, in sola exteriori superficie actu & per se, hoc est immediate, est aspectabile; perspicuum autem interminatum secundum interiores partes conspici potest. Verum tum superficies, tum corpus totū per se aspectabilia dici possunt. Superficies, vt qua aspicitur corpus: Corpus autem, vt id, quod verè aspicitur. Actiones enim & passiones suppositorum sunt. Colorem quoque Philoponus aspectabilem dicit. Ergo color aspectabilis est, vt forma & ratio, cur aliud aspiciatur: corpus, vt quod verè aspicitur: & superficies, vt qua conspiciatur corpus. Nō. n. videtur terminatū corpus, nisi in superficie. Aspectabile igitur est color; & color, quatenus aspectabilis in eo est, quod per se est aspectabile: hoc est tū in toto colorato corpore, tū maximè in superficie, quæ immediate cō-

Color ut per se aspectabilis.

Color corpus conspiciat. sicut vt aspectabilia.



spicitur & per se. Quoniam cum in ea colores omnes conspiciantur, per se aspectabilis dicitur: non quod in eius definitione ponatur aspectabile, aut ipsa ad aspectabilis definitionem adsciscatur: sed quod causam in se habeat, hoc est colores, cur aspici possit. Non enim eum, qui est in profundo, colorem cernimus; nec cernere possumus, nisi ad superficiem reducatur: sed eum solum, qui re ipsa in superficie hæret; ex qua tamen totum aspici nominatur. Propterea & corpus & superficiem per se aspectabilem dicit: quoniam eius, sanè, ut est apud Alexandrum in primo libro naturalium questionum capite secundo simul sunt color & superficies: quoniam extremum corporis, quæ corpus est, superficies; quæ verò perspicuum, est color: Quod si quædam sint corpora, in quorum profundo videantur colores: ut dum in speculo cernimus plumbum, quod partem eius posteriorem terminat: sanè ea corpora sunt perspicua, medique vim habent, per quod ceu per aërem & aquam colorem in superficie plumbi hærentem cernimus.

Plura in eandem penè sententiam Philoponus differit: sed ad huius loci intelligentiam haud magnopere necessaria sunt. Ego solum adnotabo, totam hanc primam de aspectu orationem optimè cum antecedente coniungi. Nam cum Diaris filium ex accidente videri dixisset, dum videtur album; & opportunè de hoc sensu introduxit sermonem, & colorem dixit esse aspectabilem; corpusque coloratum per se aspici, Diarisque filium & alia quæcumque adiuncta, non per se, sed ex accidenti hoc sensu sentire.

TEXTVS.

Πάν ὃ χρομια καὶ κινῆται ἐστὶ τὸ κατὰ τὴν ἐπιπέδου διαφανές. ὃ τὸν ἄνθρωπον αὐτὸν ἔχει.

Tex. 67. Omnis autem color motuus est eius, quod in actu, perspicui. & hoc est ipsius natura.

COMMENTARIVS LXXXV.

Emen-
datur
hic lo-
cus.

Mendandus primùm est hic locus, deinde interpretandus. Nam quod initio huius orationis in plerisque codicibus causantem particulam (enim) legimus; nequaquam cum Græco codice consentit. Non enim in eo est (ἐν) sed (ἔν.) Propterea Sanctus Thomas secus, quàm oportuerat, hunc textum interpretatus est. Causantem enim particulam legens adferri causam existimavit eius, quod dictum fuerat, colorem esse per se aspectabilem. Causa autem est, quoniam color est motuus perspicui actu: hocque habet ex sua natura & proprietate. & idè est aspectabilis, quia mouet perspicuum: si igitur ex sua natura est motuus perspicui; est item ex sua natura aspectabilis.

Verùm cum legenda potius sit particula (autem) verius cum Græcis, quos Auerroës & Albertus sequuti sunt, affirmabimus definiti, quid sit color. Nam cum aspectus obiectum posuisset esse aspectabile; & aspectabile docuisset esse colorem; dicendum omnino erat de colore tanquàm de proprio aspectus obiecto, atque ab illius definitione inchoandum.

Color igitur est id, quod est motuum eius, quod est actu perspicuum: atque hoc est ipsius natura. Quæ verba posteriorem interpretationem confirmant: ostenduntque coloris definitionem & naturam exponere, non causam reddere, fuisse Aristoteli prioribus verbis propositum. Porò perspicuum dicitur, quod interminatum est potestque omni ex parte videri, & per illud etiam tanquam medium conspici aliud, cuiusmodi sunt aër & aqua; quæ peruia sunt nec aspectum terminant. Horum perspicuorum corporum, & oculi item, cuius præcipua pars pupilla est perspicua, dicitur color esse motuus: quia per hæc duntaxat, non per ea, quæ opaca sunt & terminata, mouere aspectum potest & omnino videri. Quo enim modo mouere aspectum existimatur, dum videtur; ita & mouere medium dicitur, dum per illud cernitur: siue id fiat effluxione & transmissione specierum intentionalium; siue absque speciebus, solo illo metaphorico & improprio motu, de quo antea dictum est.

Et quidem Philoponus motuum interpretatur perfectiuum. Quia etsi perspicuum perficitur à lumine, à colore tamen quoque perficitur: sine vlla alteratione aut passione, ut habet Simplicius; sed per solam, quæ in ipso est, transmittam facultatem: qua colorem ad visionis actum perducit, quatenus est id, per quod is videtur: aut per specierum ab obiecto ad oculum transmissionem. Vtrouis modo philosophis, facultas illa perspicui corporis, quæ est aptum videndorum colorum medium, perficitur & absoluitur. Cæterùm si sit in tenebris omni primum lumine, potestate duntaxat perspicuum appellatur; quoniam sine lumine perspicui actu non potest: cum autem illuminatum est, actu perspicuum dicitur. Lumen perficiendi facientique actu perspicuum potestate vim habet: cum color motuus est perspicui, quod fuerit actu, hoc est perspicui illuminati: si quidem in tenebris & sine lumine videri nequit.

At Philoponus non ex substantia, sed ex accidente & proprietate definitum ait fuisse colorem: ex substantia autem in libro potius de sensu & sensili capite tertio color est extremitas corporis perspicui terminati. Quod Aristoteli fortasse aduersari videbitur: qui postquam colorem dixit esse motuum perspicui actu, hoc subiunxit esse ipsius naturam. Planius hanc rem exponit Simplicius. Duobus enim modis consideratur color: aut quatenus color est & qualitas quæpiam; aut quatenus aspectabilis est & ad sensum refertur. Priori quidem certè modo non hoc loco, sed in libro de sensu & sensili definitus est. Quæ definitio non formaliter, sed materialiter accipienda est; nec tam explicat quid sit color, quàm in quo subiecto sit; etsi essentialem Philoponus dixerit. Non

Non enim color est formaliter extremitas; & ideo Pythagoras reprehenditur colorem inquiring extremitatem esse: sed dicitur esse extremitas, hoc est in extremitate versari. Aut extremitas corporis appellatur, non ut est corpus (hac enim est superficies) sed ut perspicuum terminatum. Quippe color terminati perspicui actus est, lumen interminati. Extremitas autem nominatur, non quod interiores partes colorate non sint; sed quod exteriores solae conspiciendae proponantur.

Posteriore autem modo definitus hoc loco est color: esseque motuum perspicui actus, est ipsius natura; non quatenus color, sed quatenus aspectabilis est. Atque ita tum à ceteris aliorum sensuum obiectis distinguitur, tum ab aliis aspectabilibus, quae in superiori textu separavit à colore Philosophus. Etenim color non nisi in lumine cernitur, quisque habet perspicuo actu. Sonus, odor, & reliqua sensuum obiecta, immò & aspectabilia illa, de quibus in tex. 72. in tenebris quoque sine lumine sentiuntur. Solus color necessariò postulat lumen & perspicuum actu illuminatum; & ideo solus ex obiectis omnibus sensilibus, immò & ex aspectabilibus, definitur esse motuus eius, quod est actu perspicuum.

At in pace autem, ut est apud Auerroem, in hac definitione interpretanda lapsus est; dum colorem dixit motuum esse perspicui actus; non quod perspicuum oporteat esse actu, antequam coloris motum suscipiat, sed quod ab ipso colore fiat actu. Itaque lumen affirmavit necessarium esse ad videndum, non in medio, sed in obiecto colorato: ut scilicet color fiat actu, ut possit medium perspicuum movere. Verum non ait Philosophus, colorem esse actu motuum perspicui: hoc enim eum sensum habere postulat: sed (ὅτι οὐκ ἔστιν αἰσθητὸν διαφανὲς) hoc est eius perspicui, quod iam sit actu. Deinde cum in tex. 69. lumen definitur & esse actum huius perspicui, manifestè declarabit, perspicuum antea dictum fuisse perspicuum illuminatum; neque illius actum esse colorem, sed lumen. Et quoniam eam interpretationem pluribus consutavit Auerroës, non est quod immoremur.

A dum eum subiecit absque lumine aspectabilem non esse; manifestum est, lumen perspicui actum esse.

B Sed cum color sine lumine aspectabilis esse negatur, id de actu secundo intelligendum est. Cum enim esse aspectabile sit coloris proprietas, quae naturam illius ex elementorum permissione ortam consequitur: in tenebris quoque, & verò etiam in intimis corporum partibus, non sola exteriori superficie, aspectabilis est color actu primo; hoc est habet formam, quae aspici possit. Re ipsa tamen & actu secundo non aspiciunt, nisi praesente lumine aspiciendique facultate. Atque ad hunc actum est potestate, si sit in tenebris, aut in interioribus partibus, aut si aspiciendi facultas absit. Sed in interioribus partibus est potestas remota, in exterioribus propinqua: quoniam his solum deest lumen aut facultas: illa ad superficiem primum reducenda sunt.

C Iam verò lumen, tum in medio, tum in obiecto necessarium est: neque obscurum prorsus obiectum, neque per medium omnino tenebrosium videri potest. Et de medio quidem pronuntiant Philosophus, colorem esse actum perspicui actu illuminati: de obiecto autem, colorem sine lumine videri non posse, sed unumquemque in lumine conspici. Ut verè etiam affirmare liceat, ex eo, quod color movere non potest medium nisi illuminatum, Aristotelem deduxisse, ipsum quoque illuminatum esse oportere. Nam si in medio necessarium est lumen, ut coloris motus suscipiatur; multò magis in ipso colore requiritur, ut movere possit.

D Denique quoniam lumen ad videndum colorem est necessarium, & ipsam quidem interdum per se aspectabile est sine colore, color verò sine lumine aspici nequit; concludit antea dicendum esse de lumine, quam de colore accommodatè dicitur. Accedit & illud, quod & qualitas est sua natura nobilior & prior, quae ad colorum quoque compositionem concurrat. Et rursus dici non potest quid sit lumen, nisi quid sit perspicuum intelligatur: si quidem lumen definitur esse actus perspicui; quam actu pelluceat suscepto lumine.

Digestio xxxv. De Colore.

Paucis omnino verbis & obscure satis Philosophus coloris naturam exposuit. Pluribus opus est. Nam & aliquos reperio non satis eum à lumine distinxisse.

E Plato in Timæo colorem scripsit veluti flammulam quandam esse fulgoremque è singulis corporibus emicantem. Et aperta oratione Auerroës, ut est apud Auerroem, nil esse aliud, quam lumen, credit. Et in 6. naturalium Avicenna, & Albertus hoc loco, & in lib. de sensu & sensibili, & in summa de homine, materialiter esse dispositionem quandam ad suscipiendum lumen ex elementorum permissione in corporibus ortam; formaliter autem ipsum lumen, ut alio atque alio modo terminati corporis superficiei admiscetur. Itaque note & in tenebris non nisi materialiter in corporibus esse colores; formaliter tunc solum, cum adest lumen.

Aristoteles quidem certè in tex. 18. lib. 3. lumen affirmavit potestate existentes efficere actu colores: agentemque intellectum luminis esse perfimi-

Color et
esse actum
luminis.

Lumen
in medio
& obiecto
necessarium
solum.

Colorem
quinta
tem esse
à lumine
ne dicitur
tam.

TEXTVS.

ὅτι οὐκ ἔστιν αἰσθητὸν αἰὲν ἑαυτὸς, ἀλλὰ τὸ πᾶντος ἕξαστον ἕξαστον ἐν τῷ ἑαυτῷ. διὸ οὐκ ἔστιν αἰσθητὸν αἰσθητὸν ἑαυτῷ.

Quare non est aspectabile sine lumine; sed omnis eiusque color in lumine aspectabilis. Itaque de lumine primum dicendum, quid sit.

COMMENTARIVS LXXXVI.

Aristoteles ergo ex coloris definitione proposita sapienter colligit, colorem sine lumine aspectabilem non esse; sed colorem omnem opus habere lumine, ut aspici possit. Quibus verbis lumen significat actum esse perspicui. Si enim color solius perspicui, quod sit actu, motuus est;